



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Explicatur locus Ioan. 14. Qui videt me videt & Patrem meum. cap. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

nas species: sic enim nihil obstat, quominus Beatus plures perfectiones in Deo distinguat. At notitia aliqua clara Dei, quam vocant intuitum, certe esse nequit, quæ distinguat ea, quæ in Deo sunt indiuisa: quare nec multiplicari possunt plures de Deo conceptus. Sic igitur licet Beatus, imo & Deus ipse cognoscat plura in se ipso attributa distinguere a viatoribus, tamen nec Deus de se ipso, nec Beatus de ipso Deo, aliquod genus habent cognitionis, quo represententur distincta attributa, ut latius disp. 116. ostendimus.

Argumentum vero hæcenus factum probat, neque per diuinam potentiam fieri posse, ut ipse clare videatur non visis personis, & attributis, nec aliquod attributum sine alio, nec in eodem attributo aliquid videatur, alio non viso, sed totum penitus necessario cognoscatur, quod omnino sit indiuiduum, & simplex. An vero cognoscant Beati omnem respectum, quem Deo tribuimus ad creaturas sub esse possibili, vel futuro, sequenti disp. videbimus.

Porro, si distinguerentur ex natura rei in Deo attributa inter se, & ab essentia, & hæc etiam a personis; difficultas esset, an sine miraculo, secundum naturalem ordinem rebus præscriptum, vnum sine alio videri posset. Scotus supposito illo principio, docuit, nihilominus non posse fieri; rationem quoque illius iam retulimus, quia scilicet manifestato semel obiecto clare, sicuti est, non potest Beatus intellectum cohibere, quo minus in totum penitus feratur: quod si ipse intelligat ita, ut manifestatio quædam clara ipsius Dei actu præcedat visionem, est omnino falsum: nam tota Dei manifestatio est ipsa visio: quamvis autem supposita visione, non possit non intellectus videre totum, quod ipsa repræsentat: bene tamen posset ita eliceret visionem, ut vnum sine alio repræsentatum intueretur, si principium illius suæ subderetur voluntati. Quocirca ad naturam principij, scilicet lamenis gloriæ recurrendum est, ut videamus, an vnum sine alio naturaliter videri posset, etiam si distinguerentur, ut Scotus putauit.

Dico igitur, si lumen gloriæ talis naturæ est, (sicut omnes supponunt) ut naturaliter secum rapiat intellectum ad videndum, nec sit, sicut alij habitus, quibus utimur, cum volumus, etiam si intellectuales sint, non posse secundum ordinem ipsi præscriptum, vnum sine alio in Deo videri, quia æque naturaliter moueret intellectum ad vnum, atque ad aliud. Dens tamen, quæ uia est omnipotentia, posset cum ipso concurrere ad eliciendam visionem vnius, & non alterius. Si vero talis esset habitus, ut vteretur intellectus illo sicut Beatus vellet, posset sane ipsum applicare ad visionem vnius, & non alterius. Cum vero dicimus, posse videri essentia sine personis, si ex natura rei distinguerentur, & vteremur lumine gloriæ pro voluntate: non dicimus eandem futuram visionem, quæ quodammodo variata, nunc esset essentia, & personarum; deinde essentia tantum: sed fore diuersas notitias numero differentes, euidentes, & claras, & (ut vocant) intuitivas rei, sicuti est, quarum vnāquamque per se lumen gloriæ posset elicere.

C A P I T U L U M III.

Explicatur locus Ioannis 14. *Qui videt me, videt & patrem meum.*

EX dictis colligitur, non posse videri vnā personam, alia non visa, quia licet inter se re ipsa

distinguantur, sicut tamen idem cum ipsa essentia: ex quo fit, ut vna persona in alia per circuminseffionem (ut loquuntur Theologi) esse dicatur, ac proinde, visa vna, alia in ipsa videatur. Quinimo aliqui putant, hoc esse expressum Ioannis 14. vbi cum Philippus postulasset claram visionem Patris eamque in solatium doloris, quem ex discessu Christi passuri erant discipuli, ipsis sufficere dixisset; respondit Christus: *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? philippe, qui videt me: videt & Patrem meum.* De hac clara visione secundum diuinitatem, intellexisse videntur hunc locum Hilarius 7. de Trinitate, Athanasius in confessione fidei, ad Epictetum Nazian. orat. 39. num. 82. vbi dicit Filium Dei, ideo merito λόγος appellari, quod sit veluti Patris definitio, qua cognita, Pater ipse cognoscatur, & orat. 49. *Qui videt me, videt & Patrem.* & non immerito, quia vnitatem substantia, & maiestatem diuinitatis vnum sunt, & augustinus 1. de Trinit. cap. 8. & in psal. 84. & 85. eodem modo intellexisse videtur.

Aliqui vero Thomistæ Scotum vrgent hoc loco Ioannis, quoniam Philippo petenti claram Patris visionem, Christus Dominus respondit: *Qui videt me, videt & Patrem meum: quomodo tu dicis, ostende nobis Patrem: non credis quia ego in Patre, & Pater in me est? ac si diceret, cum simus eiusdem omnino naturæ, fieri non potest, ut Patrem non videat, qui me ipsum viderit: ubi ex vnitatem nature colligit, vnum sine alio cognosci non posse, non ex mutua personarum relatione: ut hac ratione etiam intelligamus, essentiam videri non posse sine personis.*

Verum, hæc expositio nec Patrum interpretatiōi, qui ex professo locum illum elucidarunt, nec contextui Ioannis quadrat. In primis hunc locum accurare tractant, Tertull. libro contra praxeam, cap. 24. Cyril. lib. 9. in Ioannem, cap. 37. Chrysostom. homil. 73. in Ioannem, augustinus tract. 70. in Ioan. ex his tamen nullus dicit, Philippum à Christo postulasse claram visionem Patris, sicuti est, visionem inquam spirituales intellectus; quod si eam postulasset, quomodo Christus suo responso illi satisfecisset, dicens: *Qui videt me, videt & Patrem meum, siquidem neque sui ipsius claram visionem concesserat potestatem enim & Philippus respondere; Diuinitatem tuam mentis acie nondum vidimus, sed corporeis solum oculis humanitatem cognouimus: non igitur mirum, si tanto tempore tecum conuersati, te ipsum secundum diuinitatem, & patrem, nondum clare viderimus: ergo ostende illum nobis clare, & sufficit nobis.*

Quod verò Philippus oculis corporeis Deum videre cuperet, idque postulauerit, docent Tertull. Chrysostom. & Cyrillus. Tertull. ait, *Et ideo fugiatur, patrem videre desiderans, quasi visibilem: & instrui visibilem eum in filio fieri ex virtutibus, non ex persona representatione; hoc est, non ex personæ ipsius secundum se ostensione; id ipsum sensisse Chrysostom. quare verba illa, *Qui videt me, videt & Patrem;* sic interpretatur, *Si quis me videt, & illum videbit. hoc est, nec ego, nec ille videri possumus. philippus enim visus cognitionem querebat. Quod vero subdit: *Et non cognouistis me; sic explicat Chrysostom. Cum tot opera fecerim, quæ sunt Dei propria, non cognouistis me, quia sum carne circumdatus.***

Denique Cyrillus petitionem Philippi ad corpoream visionem refert, non quod peteret diuinam substantiam oculis corporeis intueri; sed quod Deum Patrem videre desideraret, in corporea aliqua figura, aut ignis, aut alterius rei; sicuti Pro-

Dubium.

Scotus.
Scoti sensus.

Refutatur.

Dubij solutio.

11

Ioan. 14.

De clara visione diuinitatis à qui. busdam ex. ponitur. Hilarius. Nazianus.

Augustinus.

Non querat contextus expositio. Tertullus. Cyril. Chrysostom. Augustinus.

Secundæ expositionis. Tertullus. Chrysostom.

13

Chrysostom.

Tertia expositio. Tertullus.

Pro-

Prophetis apparuit. Subiungit itaque Cyrellus hæc verba: An igitur philippe cum multo melius in me Patrem videre possit, quam in igne antiquiores viderunt alium quendam modum videndi Patrem desideras? &c. tu autem videre Patrem petis, quia non penitus adhuc crediti disti, quod ego in Patre, & Pater in me est.

14. Porro August. tract. illo citato, & Epist. 113. cap. 6. qui petitionem Philippi, non ad corpoream visionem, ut citati Patres, sed ad mentis cognitionem refert, non dicit, Philippum postulassem claram essentiam Patris visionem, sed simplicem cognitionem: quis scilicet esset Pater: ad quem ipse Christus dicebat se iturum: & hunc puto esse sensum textui germanum, & nativum. Quem ut melius explicemus,

textum Ioannis subiiciamus: dixerat Christus, Quia vado parare vobis locum, & si abiero, & preparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, ut vbi ego sum, & vos sitis: & quo ego vado scitis, & viam scitis. Dicit ei Thomas, Domine, nescimus quo vadis, & quomodo possimus viam scire: dicit ei Iesus, Ego sum via, & veritas, & vita: nemo venit ad Patrem, nisi per me: si cognouissetis me, & Patrem meum utique cognouissetis, & amodo cognouissetis eum, & vidistis eum, tunc subiunxit Philippus, Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis, &c. Quibus verbis non de clara Dei visione, quæ intellectu sit in patria, sed de vera Patris notitia loquebatur, ut ex ipso contextu mox apparebit. Cum enim Christus morti proximus esset, ut ad vitam immortalem secundam carnem, cum Patre suo Deo transiret, ut consolaretur suorum corda discipulorum, dixit, Et si abiero, & preparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum. Quibus verbis significauit, se præiturum, ut eis etiam locum prepararet, & iterum rediturum, ut ad eandem vitam eos secum transferret. Subiungit deinde, Et quo ego vado, scitis, & viam scitis, hoc est, locum, ad quem eo, optime nostis, & viam, qua iturus sum, ut me sequi possitis, etiam scitis. Thomas vero, non intelligens, quæ Christus dicebat, dixit, nescimus quo vadis, & quomodo possimus viam qua illuc itur cognoscere: Christus vero respondit, Ego sum via, veritas, & vita, nemo venit ad Patrem nisi per me, hoc est, ego sum vera via, qua itur ad vitam immortalem cum Patre: nemo enim ad Patrem, nisi meis meritis peruenire potest, si cognouissetis me, & Patrem meum utique cognouissetis, & amodo cognouissetis eum, & vidistis eum. Quasi diceret, si me, qui sum via, plene cognouissetis, & Patrem, ad quem vado, optime quoque cognouissetis: sed paulo post, scilicet cum paraclitus venerit cognouissetis eum: & certe si voluissetis ad mea opera, & doctrinam attendere, iam satis cognouissetis eum. Tunc Philippus ignarus adhuc, quis esset Pater, ad quem dicebat se iturum, dixit, Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis: hoc est, dicas nobis, quis est iste tuus Pater, ad quem vadis, & hoc solo contenti erimus: nam Philippum ignorasse, quæ diceret Christus esse suum patrem, testatur August. loco allegato. Dominus autem tunc optime respondit, Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouissetis me: hoc est, post tantum tempus, quo vobiscum conuersatus sum, nondum cognouissetis me esse Deum: qui videt me, videt & Patrem meum: hoc est, qui me perfecte cognoscit, ex operibus, & doctrina mea palam intelligit me esse Deum, eiu'dem naturæ cum Patre, ac proinde cognoscet Patrem meum, ad quem dixi me iturum, esse Deum. Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est, verba quæ ego loquor vobis, a me ipso non loquor, & iter

autem in me manens ipse facit opera, non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est: quibus verbis palam ostendit, ex operibus, & doctrina sufficienter ostendisse, se esse Deum: quare & Patrem suum esse Deum: id quod maxime sequentia verba confirmant, Alioquin propter opera credite. Sic Tertullianus exponit cum ait, ex operibus, & virtutibus Christi, patrem fieri visibilem, hoc est cognosci. Contra hanc expositionem illud solum opponi potest, quod cum Christus prius dixisset, quo vado scitis, & viam scitis, postea Thomas dixit, Domine nescimus quo vadis, & quomodo possimus viam scire: deinde Philippus ignorans, quis esset eius Pater, ad quem se iturum dixerat, adiecit, Ostende nobis Patrem, &c. quomodo igitur Christus dixerat, Quo vado scitis, & viam scitis, Aug. huic difficultati respondit his verbis, Facile soluitur questio, si dicamus, quod cum aliqui eorum sciebant, aliqui nesciebant: atque in iis, qui nesciebant, Philippus erat, & nos possumus Thomam annumerare; nam & Aug. de solo Philippo loquitur.

Alij vero illud, Quo ego vado scitis, & viam scitis, explicant hoc modo, ut Apostoli optime nossent Deum, ad quem Christus iturus erat, & regnum cælorum, quo ibat: sed non cognoscerent Christum illuc iturum. Tum etiam, ut cognoscerent ipsum Christum, qui reuera erat via spiritualis, cuius merito ad vitam æternam eundem esset, sed nescirent ipsum esse viam, ergo vno modo sciebant, & alio modo ignorabant, sicut Ioan. 9. Christus dixit ad cæcū, quem sanauit, Tu credis in filium Dei; & respondit, Quis est: ut credam in eum, cui iterum dixit Christus, Et vidisti eum, & ipse est, qui loquitur tecum: viderat quippe eum, qui erat filius Dei, sed non nouerat ipsum esse filium Dei.

Possimus & alio modo ista conciliare, ut discipuli iam optime scirent, Christum moriturum, ut ex c. 12. Ioan. constat, & morte sua omnia ad se reuocaturum: nossent etiam, ipsum resurrecturum in vitam immortalem: sed Thomas, & alij ignoraret, an tunc, cum loquebatur Ioan. 14. illud futurum esset. Obliti igitur omnino tunc in vitam immortalem per mortem iam imminentem Christum esse transiturum, & putantes post cœnam ipsum velle, in aliquem locum occultum secedere, dixerunt, Nescimus quo vadis, & quomodo possimus viam scire: ostendens autem illis viam, de qua tunc loquebatur, dixit, Ego sum via, &c. simul etiam ostendit, se ad Patrem iturum esse, cum dixit, Nemo venit ad Patrem, nisi per me: Caterum quod non satis intellexissent, Patrem suum esse Deum, subiungit, Si cognouissetis me, & cætera, quæ Philippus adiecit.

CAPVT IV.

Respondetur argumentis Scoti.

18. Superest, ut argumenta Scoti diluamus, circa prius argumentum multa affirmat Caiet. 2. 1. q. 2. art. 1. illo, ut probet, ad formalem rationem beatitudinis, non solum per se pertinere visionem, ut ad essentiam terminatur, sed etiam prout respicit personas: cuius oppositum docuerat Scotus, de quo tamen non est nobis præsens controuersia, nunc enim solum dubitamus, an possit essentia sine personis videri, siue ad obiectum beatitudinis, personæ per se pertineant, siue non: de hoc enim tractabimus in 1. 2. q. 3. Illud tamē obiter dicamus, licet nostro modo intelligendi, quem de Deo habemus in via, optime concipiamus essentiam Dei, sine personis, & sola illius visione, Patrem æternum

Tertull.

Obiectio ex contextu.

August. Prima responsio.

Secunda responsio.

17

Ioan. 9.

Tertia conclusio. Ioan. 12.

Ioan. 14.

Caietanus.

Quomodo persona tripartita intus obiectum beatitudinis.

Quarta expositio Augustini.

August.

16. Christi dominus ex operibus, & doctrina eius ostenditur.